

cedenti, quod quanto gradus augmenti est intensior, requiritur ad adaequationem in valore maior multiplicatio in actibus meritorijs remissis, vel maior intensio in illis sine tanta multitudine illorum. V. g. maior multiplicatio, continuatio, aut intensio requiritur ad adaequandum valorem gratiae vt decem in eo, qui habet gratiam vt novem, quam ad adaequandum valorem gratiae vt quinque in eo, qui habet gratiam vt quatuor propter rationem proximè traditam. Unde stare poterit, quodd actus vt quatuor simul cum alio vt quatuor habeat sufficientem valorem cum gradu gratiae vt quinque, & quodd actus vt vnum simul cum actu vt quatuor, ex nullo alio capite suscipiens valorem, illum adaequet. Ex his, & ex dictis num. præc. satis constat ad primam objectionem.

156 Ad secundam responderetur, quodd de peccato possumus loqui in duplici sensu: vel prout importat gravitatem offensæ, quo pacto inducit obligationem ad satisfactionem infinitam, vel loco illius ad penam infinitam: & iuxta hanc considerationem non erit mirum, quodd quolibet peccatum mortale augeat penam, sed non habet locum in actu remisso charitatis. Vel in ratione malitiæ, præcisæ offensæ: & hoc modo acceptum meretur maiorem penam essentiali, seu damni. Sed ideo est, quia augmentum illius non est propriè intensio, sed adinstar extensionis scientiæ. Unde sicut hæc fit maior per extensionem ad novas conclusiones; ita pena damni, quæ consistit in carentia visionis, augetur per connotationem peccatorum, quæ sunt impedimenta ad Deum videndum. Vide, si placet, quæ diximus tract. de Peccat. disp. 3. à num. 52. & à num. 55. Gratia autem non augetur nisi intensivè: ideoque non est par ratio. Si verò loquamur de pena sensus, quæ respectivè ad penam damni est accidentalis, promittimus, quodd augeatur per quodlibet peccatum, quia habet condignitatem, vt aliquantulum augeatur; quod non venit cuilibet actu meritorio relatè ad augmentum.

Ad tertiam responderetur negando consequentiam, ob manifestam disparitatem inter satisfactionem, & meritum: quia per satisfactionem fit diminutio penæ; & hæc quolibet actu satisfactorio potest diminui, sicut minuitur debitum, seu reatus ad illam. At per meritum fit augmentum, quod fieri debet per modum indivisibilem perfectiorem; ad quem non quilibet actus meritorius habet condignitatem. Explicatur hoc discrimen ex ijs, quæ in physicis contingunt: nam minima frigiditas sufficit ad minuendum calorem, qui supponebatur vt octo; sed non quilibet calefactio sufficit ad augmentum caloris, qui supponebatur intensus vt quatuor. Ad confirmationem responderetur, quodd opus virtutis informatum charitate habet

condignitatem ad hoc, vt præmium accidentalè augeatur, sicut de quolibet peccato in ordine ad penam sensus supra diximus. Si autem sermo sit de ipso opere virtutis præcisivè ab informatione charitatis, & à coniunctione ad merita præcedentia; sic non adaequatur cum intensione præmij accidentalis, & propter eandem dicendum est de illo, ac de actu remisso charitatis.

§. V.

Ultima, & præcipua resolutio quoad actus remissos.

157 **D**icendum est vltimò, iustum in præsentì providentia mereri de condigno per quemlibet actum informatum charitate augmentum gratiae. Hæc resolutio suffragatur secundæ sententiæ relatæ num. 143. & procedit contra quartam ibi allatam, et quæ valde consentanea sacrae scripturæ, Concilij, SS. PP. & rationi. Unde:

Hæc nostra conclusio probatur primò authoritate Scripturæ: nam Matth. 10. dicitur eum, qui dederit calicem aquæ frigida in nomine Christi, idest cum relatione charitatis, vt explicuimus num. 75. privandum non esse mercedem suam, idest vitam æternam, vt exponunt Patres; sed merces non promittitur nisi propter meritum de condigno: nam quod promittitur propter meritum de congruo, nequit vocari *merces*; & aliunde istud opus est valde remissum, & minimum inter opera pietatis: nec potest restringi ad aliquem actum charitatis valde intensum imperante tale opus propter dicta toto dub. 54. præsertim num. 91. & quia ab vilo actu formæ li charitatis, vel valde remisso, potest non imperari: ergo iuxta Script. quolibet actu charitate informato meretur iustus defactò vitam æternam, & augmentum illius, ac proinde etiam augmentum gratiae.

Et confirmatur ex illo Apoc. 22. *Merces mea mecum est reddere unicuique secundum opera sua*: & similibus locis, in quibus promittitur vita æterna vt merces, & præmium propter merita illius, ita vt salvetur debita proportio inter merita, & præmium; sed hoc non salvaretur, si iustus per quolibet opera meritoria vitæ æternæ non mereretur aliquod augmentum gloriæ essentialis, sed præcisè augmentum debitum actibus intensis: nam posset contingere, quodd duo habant in prima iustificatione gratiam vt quatuor, quorum alter eliciat plures actus remissos, & in fine vitæ eliciat actum charitatis vt sex, & alter nullum actum remissum eliciat, & in fine vitæ eliciat actum intensum vt sex: in qua hypothesi sunt inæquales in meritis, & iuxta sententiam contrariam sunt æquales in premio essentiali: ergo ad salvandam

Scip.

Scripturam, & proportionem inter meritum, & præmium ab ipsa intimatum, necesse est, quodd iustus per quælibet opera charitate informatam mereatur de condigno aliquod augmentum gloriæ, & gratia distinctum ab eo, quodd meretur per actus intensos.

Probatum etiam ex Concilij: nam Araus. can. 18. vniuersaliter definit, mercedem deberi operibus bonis in gratia factis. Et præsertim Trident. sess. 6. cap. 16. ait: *Bene operantibus usque in finem: proponenda est vita æterna: tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda. Hæc enim est illa corona iustitiæ, &c.* sed hæc determinatio Concilij in sententia contraria esset inutilis, & frustranea: siquidem defendit operibus bonis, seu meritis remissis nullum præmium distinctum conferri, & nullum absolute deberi, si post actus remissos non sequatur actus intensior: ergo iuxta Concilia iustus per omnia opera moraliter bona meretur aliquod distinctum augmentum gratiae; & gloriæ.

Uterius probatur ex PP. nam Ambros. lib. 2. de Spiritu sancto, exponens illa verba, *Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt*, sic ait: *Quid mihi prodest, si Deus ipse omnes meos novit capillos? Illud mihi redundat, & proficit, si bonorum operum pervigil restis remunerationem gloria donet æternæ; sed remuneratio correspondet merito de condigno: ergo nullum est opus bonum in iusto, cui non correspondeat, vt illius præmium, aliquod augmentum gratiae, & gloriæ.*

Sed missis alijs PP. D. Thom. 2. 2. quæst. 24. art. 6. ad 1. ait: *Quilibet actus charitatis meretur charitatis augmentum.* Et in præc. art. 8. ad 9. *Quolibet actu meritorio meretur homo augmentum gratiae*, vbi D. Thom. loquitur de merito condigno, vt liquet ex corp. art. ergo iuxta D. Thom. homo per quemlibet actum meritorium meretur de condigno augmentum gratiae, charitatis, & gloriæ.

158 Deinde probatur ratione fundamentali: Nam si opus meritorium quantumvis remissum habet æqualem valorem cum aliquo augmento gratiae supra augmentum præexistens, & aliàs datur pactum ex parte Dei, defactò est de condigno meritorium respectu illius; sed opus meritorium, quantumvis remissum simul cum actibus præcedentibus æquantibus augmentum gratiae præexistentis habet æqualem valorem cum aliquo augmento superaddendo, & aliàs adest pactum ex parte Dei de illius collatione: ergo est meritorium de condigno alicuius augmenti gratiae supra augmentum præexistens. Maior ex dictis tota hæc disp. constat. Et minor quoad secundam partem ex testimonijs proximè relatæ Scripturæ, & Conciliorum, maxime Trid. Quoad primam verò partem pro-

batur: nam supponamus, quodd quis habet gratiam vt decem et vi actus intensi vt decem, & postea eliciat actum vt vnum, tunc iste actus simul cum actu intenso vt decem habet omnimodam adaequationem cum gratia vt decem: ergo actus remissus vt vnum simul cum actu intenso, vt decem habet æqualem valorem in estimatione morali cum aliquo augmento superaddendo gratiae, vt decem.

Et confirmatur: Nam propter actus remissus vt vnum simul cum actu intenso vt decem non mereretur defactò aliquod augmentum supra gratiam vt decem, quia gradus superaddendus vt vndecim est formaliter indivisibilis; & superioris valoris actu remisso vt vnum adhuc vt coniuncto cum actu intenso vt decem; sed hoc non obstat, vt sit meritorium de condigno predicti gradus vt vndecim secundum aliquam sui virtualitatem: ergo defactò meretur de condigno aliquod augmentum super gratiam vt decem: Minor probatur: siquidem non repugnat, quodd Deus statuat legem de conferendo aliquo premio indivisibili partem ex iustitia secundum quandam virtualitatem, quam adaequat meritum, & partem ex gratia secundum virtualitatem quam meretur non adaequat; sed actus remissus vt vnum simul cum actu intenso vt decem adaequat in valore morali gratiam vt vndecim secundum aliquam sui virtualitatem, cum habeat maiorem valorem moralem, quam actus solus vt decem, licet non adaequet totum gradum: & aliunde datur lex ex parte Dei de conferendo tali gradu partem ex iustitia, & partem ex gratia iuxta testimonia Scripturæ, & Conciliorum Trid. & iuxta illud axioma, *Deus præmiat supra condignum*: ergo iustus per talem actum defactò meretur de condigno aliquod augmentum gratiae supra gratiam vt decem.

Uterius probatur conclusio ex aliquibus inconvenientibus, quæ sequuntur ex contraria sententiâ. Sequitur enim primò, quodd iustus operans remissè mereatur de condigno gloriam, & aliàs operans intensè non illam mereatur de condigno: vt si vnus habens gratiam vt centum eliciat actum intensum vt centum; & alter habens gratiam vt vnum eliciat actum vt duo. Quo quid absurdum! Sequitur secundò, virum sanctissimum, qui per sexaginta annos eliceret innumeros actus charitatis vt centum, & ex actu eodem modo intenso pateretur martyrium, non receptorum maius præmium gloriæ essentialis, qua hominem, qui per tot annos vitam ageret flagitiosissimam, & in vnico instanti ante mortem eliceret actum charitatis vt centum, quodd rationi, divinæ iustitiæ, & æquitati parum consonum videtur. Sequitur tandem, quodd siquis iustificetur in sacramento cum sola attritione, & tunc ex opere operantis, quam ex opere operato recipiat charitatem vt quatuor, & postea eliciat plures actus meritorios vt duo,

&

& nullum ut quatuor, reciperet gloriam tantum per modum hereditatis, & nihil illius per modum coronae.

159 Respondebis ad haec, quod Deus tribuit maius primum essentiale habenti maiora merita: ad quod verificandum non requiritur, quod conferat maius primum physicum, seu in esse entis, sed satis est, quod primum conferatur pluribus titulis, ex quibus crescit aestimabilitas praemij, licet physice sit aequale.

Contra est primum: Quia eadem facilitate possit dici non esse necesse, quod Deus pro operibus intensioribus conferat maius primum physicum, & in esse entis: siquidem primum aequale in esse physico iuxta praedictam evasionem cresceret moraliter per connotationem maioris meriti; sed nullus catholicorum hoc audebit admittere, cum ex fide constet iustum per opera intensiora mereri de condigno maius primum physicum gloriae, & univrsi Theologi affirmant contra Iovinianum, & alios haereticos, non omnes beatos esse physice aequales in gloria essentiali, quia non sunt aequales in meritis: ergo, supposita inaequalitate in meritis, non est licitum recurrere ad excessum moralem praemij desumptum ex pluribus titulis, aut meritis cum aequalitate physica illius.

Secundo: Nam ex hac doctrina sequitur, quod merita Christi maneant ad aequalitatem remunerata: siquidem primum crescit in esse praemij iuxta augmentum, & titulum meriti; hoc non potest admitti: ergo nec debet admitti, quod habenti plura merita conferatur maius primum, per hoc praecise quod ei conferatur ex maiori, aut pluribus titulis.

Tertio: Nam sententia contraria permittit, quod merita remissa aliquando maneant absolute irremunerata: quod contingeret, si iustus habens gratiam ut quatuor eliceret actus remissos, & postea non eliceret actum intensiorem gratia ut quatuor: ergo hisce meritis non potest adaptari praefata evasio.

Quarto, & ultimo: Quia eundem gradum gloriae essentialis dari pluribus titulis non conducit ad hoc, ut beatus perfectius videat, vel amet Deum, vel magis gaudeat de Deo viso, quod pertinet ad primum essentiale, sed solum potest conducere ad hoc, quod gaudeat de ipsa visione pluribus titulis consequuta, quod pertinet ad primum accidentale: ergo per actus remissos iustus non meretur augmentum gloriae essentialis, sed praecise gloriae accidentalis.



Argumenta contra ultimam, & praecipuam resolutionem.

160 **A**rguitur primum ab autoritate: nam D. Aug. lib. *Octoginta trium* *Quest.* quae 3. docet, quod quanto anima magis Deo adhaerit, tanto magis illustrabitur lumine gloriae; sed solum hoc potest verificari de eo, qui elicit actus intensiores, qui per unum solum actum charitatis ut octo magis adhaeret Deo, quam si elicit plures actus intensos ut sex: ergo prior ille conlequetur maiorem visionem; sed hoc non potest stare, si actus remissi mereantur augmentum gratiae, & gloriae: ergo iuxta Doctorem Aquilam iustus per actus remissos nullum meretur de condigno augmentum gratiae, & gloriae. Item in psalm. 83, ad illa verba, *ascensiones in corde suo disposuit* &c. sic ait: *Facit Deus iusto gradus, quibus ascendat. Ubi facit gradus? In corde. Quanto ergo plus amaveris, tanto plus ascendet. Ubi non inquit, quanto pluries amaveris, quod fit per actus remissos, sed quanto plus amaveris, quod fit per actus intensos: ergo per solos actus intensiores disponuntur ascensiones in Caelo.*

Et confirmatur duobus testimonijs D. Thomae. Primum habetur in 1. dist. 17. quae 2. art. 3. ad 2. vbi sic ait: *Quilibet actus charitatis: ordinatur ad primum substantiale, non tamen ad augmentum praemij, sed nec ad augmentum charitatis.* Alterum defumitur ex 2. dist. 27. quae 1. art. 5. ad 2. vbi inquit: *Non oportet, quod quilibet actus meritorius augmentum gratiae mereatur: quia non in quolibet actu meritorio invenitur illa conditio, per quam ex actu consequitur augmentum habitus, sed solum in illo actu, quo quis vivit gratia accepta secundum proportionem suarum virium, ita ut in nullo desit gratia Dei: ergo iuxta D. Thomam. actus remissi non merentur de condigno augmentum gratiae.*

Ad argumentum respondetur, D. Augusti, in primo testimonio solum loqui de adhesionem patrie, vbi maiori aut intensiori lumine gloriae correspondet maior aut intensior adhesio charitatis; sed haec etiam correspondet maiori merito in via, & cum merito crescat ex multiplicatione, aut continuatione actus remissi, hinc est, quod in patria anima magis Deo adhaerebit per charitatem, & perfundetur maiori lumine gloriae. ¶ Secundum testimonium exponitur eodem modo: siquidem verum est, quod quanto anima plus intensivè amat Deum, plus ascendit in gloria. Caterum non negat, quod quanto plus amat extensivè, plus ascendat: primum docet, sed alterum non improbat.

Ad

Ad confirmationem respondetur illa duo testimonia D. Thomae non esse ad rem, nec cogere, ut dicamus mutasse sententiam. Nam in primo loquitur de actu primo charitatis, qui est ultima dispositio ad infusionem primae gratiae, qui non meretur illam, etiam intensissimus sit, & cum simili intentione infundatur: immo nec augmentum gloriae, prout hoc supponit prima gloriae debitam primo merito. ¶ In secundo loquitur de merito afferente suum augmentum defacto, & statim dandum merenti. Licet enim quilibet actus mereatur augmentum, non tamen datur secundum D. Thomam statim, sed suo tempore, ut dicit locis citatis pro nostra assertionem, vbi vtrumque docet. Et quod haec sit mens D. Thomae, patet ex illis verbis, *quia non in quolibet actu invenitur illa conditio, per quam ex actu consequitur augmentum habitus, ad cuius infusionem requiritur dispositio physica proportionata.* Sed de hoc latè agendum est infra.

161 Arguitur secundo. Inter meritum de condigno, & praemium debet dari aequalitas non solum geometrica, sed etiam arithmetica; sed non quilibet actus remissus habet aequalitatem arithmeticam cum gradu superaddendo intentionis: ergo nequit illam mereri de condigno. Minor probatur: nam gradus ut unum nequit adaequare arithmetice, adhuc coniunctus cum gradu ut novem, gradum ut decem, ut probavimus §. 4. ergo.

Ad hoc argumentum respondetur concedendo maiorem, & negando minorem. Ad cuius probationem dicendum est primum, quod valor actus remissi potest crescere in esse morali ex continuatione, aut multiplicatione, aut alijs capitibus, ita ut adaequet, & excedat valorem gratiae ut decem. Pro quo recolenda sunt, quae diximus num. 155. ¶ Dicendum est secundo, iuxta dicta duobus §§. praeced. quod licet actus ut unum non adaequet arithmetice gradum gratiae ut decem, adaequat tamen simul cum actu ut novem partem virtuales illius: & hoc sufficit, ut illum mereatur de condigno quoad illam virtualitatem, supposito pacto gratioso, & accidentario ex parte Dei, quod defacto dari satis constat ex dictis §. praec.

162 Arguitur tertio: Virtus acquisita non augetur per actus remissos: ergo nec gratia debet augeti per actus remissos. Antecedens est D. Thomae. 1. 2. quae 52. art. 3. & omnium Thomistarum. Et consequentia probatur: quia sicut virtus acquisita non generatur, nec augetur nisi media dispositione proportionata, ita gratia, nec eius augmentum debent infundi nisi dependentur a dispositione proportionata, iuxta illud Conc. Trid. sess. 6. cap. 7. *Iustitiam in nobis recipientes unusquisque suam, secundum cuiusque dispositionem, & cooperationem*; sed dispositio proportionata ad augmentum habitus.

Tom. III. Paul. Theol. Sain.

acquisiti non est actus remissus: ergo nec ad augmentum gratiae.

Et confirmatur nam peccata remissa non demerentur augmentum poenae: ergo nec merita remissa merentur de condigno augmentum gratiae, & gloriae. Antecedens probatur: alias Antichristus habiturus foret maiorem poenam, quam diabolus supremus, quia elicit plurimos actus malos valde intensos, etsi remissos relate ad peccatum diaboli, cuius maior intentio excederet à tot, & tam intensis facinoribus Antichristi; hoc est contra D. Thomae. 3. part. quae 8. art. 7. & 8. ergo.

Ad argumentum respondetur, esse notam disparitatem inter actus remissos virtutis acquisitae, & actus remissos gratiae, quam, quia aliqui non considerant, hallucinantur circa modum intentionis gratiae per actus remissos. Nam actus virtutis acquisitae concurrunt tantum physice in genere causae efficientis, & dispositivae, non verò meritoriae, seu moraliter: actus autem gratiae concurrunt dispositivè physice, & etiam moraliter meritoriae: quare actus virtutis acquisitae, nequeunt producere, aut disponere proximè ad habitum, vel eius augmentum, nisi physice sint proportionati: & sicut non quilibet actus virtuosus est proportionatus ultimo cum habitu, ita non quilibet actus remissus est proportionatus cum eius augmento. Et in hoc sensu etiam concedimus, quod actus remissus gratiae non est sufficiens dispositio physica ad hoc, ut statim infundatur augmentum, sicut non quilibet actus charitatis est sufficiens dispositio physica ad infusionem primae gratiae ut quatuor. At qua parte actus remissus gratiae vna cum actu intenso ut novem addit meritum condignum supra actum intensum ut novem, movet voluntatem divinam ad conferendam dispositionem physicam proportionatam cum augmento gratiae, quod meretur. Quando verò huiusmodi dispositio conferenda sit, patebit ex infra dicendis.

Ad confirmationem respondetur, negando antecedens. Cuius probatio debilis est: siquidem potest contingere, quod actus sit adeo intensus, ut plurimi alij actus, etsi valde intensi, non illum adaequent in gravitate, aut valore: & hoc contigisse in consensu, quem praebuit B. Virgo Incarnationi, ita ut omnia merita collectivè sumpta omnium Sanctorum, & Angelorum superaret, sic credimus cum nonnullis PP. & DD. Et idem dicendum est de primo peccato Luciferi relate ad omnia peccata Antichristi propter illius maximum conatum, & plenissimam eius libertatem. Ideoque Iob. 41. de eo dicitur: *ipse est rex: super omnes filios superbiae.* Et de eo dicunt Theologi cum Div. Thomae, loco citato ex Script. quod est caput Antichristi propter eminentiam suae malitiae.

163 Arguitur quarto. Nam continuatio

§§ actus

actus remissi non meretur de condigno augmentum gratia: ergo nec ipse actus remissus ut coniunctus cum actu precedenti intenso. Antecedens probatur primo; nam demus, quod duo homines eliciant actum intensum ut duo cum proposito continuandi illum per vnam horam, & quod alter statim moriatur, & alter perseveret in illius elicentia per totam horam, ille non meretur maius præmium essentiale, quam primus, quia habent æqualem voluntatem efficacem; & tamen in vno deest continuatio, & non in altero: ergo continuatio non conducit ad augmentum gratia. Secundò: aliàs meritum durans per vnum horam esset impliciter infinitum, quia cresceret in omnibus instantibus, & partibus singulis, quæ sunt infinita.

Respondetur negando antecedens. Et ad primam probationem dic, quod magis meretur, qui continuaret opus internum meritorium, quam qui non continuaret: quia defectò vincit maiorem difficultatem formalem. Et huius signum est, quod alter, qui non continuavit, si viveret, posset non continuare, & forte non continuaret, licet haberet illud propositum efficace continuandi. Unde tantum potest inferri, quod meritum ex parte propositi in utroque effectus æquale, sed non ex parte ipsius operis.

Ad secundam probationem respondetur negando sequelam, quia duratio illa est finita & limitata, cum constet partibus aliquotis finitis: quare sicut duratio illius non mensuratur ex partibus, & instantibus proportionalibus infinitis, ita augmentum meriti non debet crescere, aut desinere determinatè ex huiusmodi partibus, sed ex aliquotibus. Et instatur in adversariorum sententia: Nam estò mereatur quis continuè per vnam horam præmium accidentale, non properatè meretur præmium infinitum. Similiter licet continuè per eandem horam actus intenderetur, quod possibile est, non mereretur præmium essentiale infinitum, quamvis continuè mereretur præmium essentiale iuxta adversarios. Tandem licet actus bonus, & actus malus continuentur per vnam horam, & continuè crearet bonitas moralis, & malitia, non exurgit infinita simpliciter.

164. Ultimò arguitur ab inconvenièntibus: Nam sequitur primo ex nostra sententia, iurum per actum remissum ut vnum mereri quodlibet augmentum: siquidem si habeat charitatem ut centum, & elicat actum ut vnum, mereretur gradum ut centum & vnum: & si habeat gratiam ut mille, mereretur gradum ut mille, & vnum, & sic de alijs; hoc non potest admitti: ergo falsum est, quod iustus per quemlibet actum meritorium mereatur aliquod augmentum gratia. ¶ Sequitur secundo, iustum plus mereri per plures actus remissos exercitos per spatium longæ vitæ, quam Magdalena (v.g.) per actum serventissimum charitatis elicium in

sua conversione; sed hoc videtur falsum, quia Ecclesia magis commendat eius conversionem, quam plures actus remissos: ergo idem quod prius.

Respondetur nullum inconveniènt sequi ex nostra sententia. Non primum: quia actus vnum non meretur augmentum ut vnum supra contentissimum gradum, nisi ut coniunctus cum actu meritorio ut centum, nec prædictum gradum adæquate sumptum meretur de condigno, sed tantum secundam aliquam virtualitatem augendam. Et cum his conditionibus non est absurdum concedere, quod actus ut vnum meretur de condigno quodlibet augmentum. ¶ Nec secundum, propter dicta num. 162. §. Ad confirmationem: Nam contingere potest, quod aliquis actus intensissimus excedat incomparabiliter innumeros actus remissos, & fortassis actus charitatis elicitus à Magdalena in sua conversione excedebat in valore morali actus meritorios aliorum iustorum exercitos per longam vitam. Nec est inconveniènt concedere, quod ab alijs meritis minus intensis excedatur. Ratio verò cur Ecclesia charitatem Magdalene magis nobis commendat, & colit, est, quia de illa certò constat: & ex alijs motivis, quæ non reperiuntur in sanctitate, & merito aliorum.

DUBIUM X.

An iustus possit sibi mereri de condigno, vel saltem de congruo donum perseverantia?

165. HOC dubium excitat D. Thom. in hac quest. 114. art. 9. Sed ante quamlibet eius resolutionem opus est ante oculos habere acceptiones omnes, quibus perseverantia potest considerari, quas explicatas relinquimus cum D. Thom. tract. præc. disp. 1. dub. 8. num. 141. Et imprimis supponendum est, quod si perseverantia sumatur pro habitu speciali animi firmante contra irruentes tristitias, quo pacto est pars potentialis fortitudinis, non potest cadere adhuc de potentia absoluta sub merito de condigno, aut de congruo: quia infunditur simul cum gratia: ergo si cetero homo non potest sibi mereri de condigno, aut de congruo primam gratiam, ita non potest sibi mereri prædictum habitum perseverantia. Idemque dicendum est de habitu, quo homo proponit perseverare in bono vsque in finem, si ve sit distinctus, si ve indistinctus à præcedenti, propter eandem rationem. Hæc tamen intelligenda sunt iuxta præsentem providentiam, in qua omnis habitus infusus producit simul cum gratia: nam si fiat hypothesis possibilis, quod gratia produceret tantum cum charitate, non dubitamus prædictum habitum posse cadere sub merito de condigno. Unde hæc controversia dog-

dogmatica tantum procedit de perseverantia actuali, & exercita in bono, seu in gratia vsque in finem vitæ, quo pacto importat specialissimum auxilium efficacè coniungens gratiam cum gloria, & solet à Theologis appellari perseverantia finalis, & principaliter donum perseverantia. Sub ea tamen comprehenditur voluntas, propter connexionem doctrinæ, quamlibet permanentiam, & continuationem seu conservationem gratiæ, quæ etiam dici solet perseverantia, licet impropria, & minus principalis.

166. Pro quibus etiam supponimus ut omnino certum, utramque perseverantiam adæquate sumptam non posse cadere sub merito de condigno, aut de congruo. Quia hoc modo accepta importat primam gratiam habituale, & primum auxilium ad primum actum meritorium; sed iustus nec de potentia absoluta potest sibi mereri de condigno, aut de congruo primam gratiam, & primum auxilium ad primum actum meritorium: ergo nec perseverantiam adæquate acceptam. Unde sermo tantum erit de perseverantia inadæquata, quæ supponit infusionem primæ gratiæ, & dicit tantum conservationem illius pro aliqua duratione sequenti, vel prout importat unionem gratiæ huius vitæ cum gloria.

167. Pro quo insuper supponimus, iustum defectò non mereri de condigno perseverantiam propriè dictam, si ve permanentiam gratiæ vsque ad mortem inclusive. Ita colligitur ex Trid. sess. 6. cap. vbi de dono perseverantiæ ait: Quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo qui potens est cum, qui stat, statuere, ut perseveranter stet, & cum, qui cadit, resistere? si ergo à solo Deo, non provenit moraliter ex meritis iustorum. Et probatur ratione D. Thom. in argum. Sed contra: Nam si iustus mereretur defectò perseverantiam finalem, ipsam à Deo infallibiliter consequeretur: quia Deus infallibiliter confert, quod alicui debetur ex iustitia propter eius merita, atque ideo semel iustificatus nunquam peccabit mortaliter, sed permanebit confirmatus in gratia; sed hoc nullus catholicorum concedet, quia est error Ioviniani, Calvinii, & Lutheri, ut refert Bellarm. lib. 3. de Iustitie. cap. 2. & 3. ergo nullus iustus defectò meretur perseverantiam finalem. ¶ Nec obest, si dicas, quod infallibiliter consequeretur perseverantiam, nisi impediretur per peccatum. Non, inquam obest, inquit D. Thom. quia ipsa perseverantia in gratia excludit peccatum: ergo vel iustus non meretur perseverantiam finalem, vel meretur auxilia efficacè ad non peccandum.

Et confirmatur. Nam ad meritum de condigno requiritur promissio seu pactum Dei; sed nullibi constat dari pactum Dei de conferenda Tom. III. Paul. Theol. Salm.

perseverantia intuitu meritorum: ergo non cadit defectò sub merito de condigno.

168. Dices, neque ex sacra scriptura constare non dari tale pactum, vel Deum ordinasse oppositum; quin potius ex ea facile colligi posse, quod extrat tale pactum: quia est medium ad vitam æternam, quam Deus promissè iuicuit meritorum de condigno, & pactum, ordinatio, seu motio perfecti provisoris non se extendit ad ultimum terminum, & quin se extendat ad medium necessarium ad illum, ut probavimus supra num. 148. ¶ Sed iste scrupulus facile rejicitur ex ratione prædicta D. Thom. & magis constabit debilitas illius ex ratione præcipua S. Doct. pro conclusione principali adducenda, necnon ex proximè dicendis.

169. Tandem supponimus, iustum defectò non mereri de condigno perseverantiam gratiæ minus propriè dictam, prout importat præcisè conservationem, & continuationem illius pro vlla duratione sequenti infusionem illius. Ita communiter Theologi, contra Suarez, ex eisdem ferè motivis: siquidem non datur pactum ex parte Dei, aliàs iustus elicent actum meritorium in primo instanti iustificationis, mereretur continuationem gratiæ in sequenti duratione: ex quo colligitur, quod mereretur defectò auxilium ad non peccandum in illa duratione, & consequenter quod non posset peccare potentia consequenti pro illa duratione: ex quo vltimè colligitur, quod, cum iuxta providentiam ordinariam iustus possit elicere actum meritorium, posset mereri de condigno continuationem gratiæ pro altera duratione sequenti, & sic de reliquis vsque ad immediatam cum morte: ex quo tandem colligitur, quod possit mereri perseverantiam finalem in præsentis providentiæ hæc Suarius non concedet, nec vultus catholicorum, propter dicta in præcedenti suppositione: ergo iustus defectò nequit mereri de condigno continuationem in gratia pro vlla duratione. Neque instantia augmenti gratiæ, qua movetur Suarez ad oppositum asserendum, aliquod convincit, propter dicenda in solutione argumentorum. Unde tota difficultas controversiæ revocanda est ad potentiam Dei absolutam: ideoque titulus dubij fundendus est in hoc sensu: An iustus possit de condigno, & per potentiam Dei absolutam mereri sibi gratiæ perseverantiam vel strictam, seu finalem, vel minus propriam, seu continuationem gratiæ pro aliqua duratione. Pro qua:

170. Triplex versatur sententia, duæ extrema, & alia media. Prima extrema docet, utramque perseverantiam cadere posse sub merito non solum de congruo, sed etiam de condigno. Ita Suarez lib. 12. de Grat. cap. 26. num. 36. Gran. tract. 12. disp. 6. quos sequuntur alij recentiores Societatis, & Lorca in præf. Et ex

Thomistis Zumel in præf. & Godoy 3. part. disp. 51. per totam, præcipue num. 10. & 14. *Alia* extrema defendit, nullam ex utraque perseverantia posse divinitus cadere sub merito de condigno, aut de congruo. Ita communiter Thomistæ, quos referunt, & sequuntur NN. Salm. in præf. disp. 6. dub. 5. *Tertia* mediam viam tenet: siquidem negat possibilitatem meriti de condigno, & concedit meritum de congruo non solum de possibili, sed etiam de factò. Ita Vega lib. 12. in Trid. cap. ultimo, & quaest. 17. de Iustif. Bellarm. lib. 5. de Iustif. cap. 22. & lib. 2. de Gratia & lib. arb. cap. 12. Vazquez in præf. Ripalda tom. 2. disp. 94. sect. 2. & alij relati pro prima sententia.

§. I.

Sententia communis duplici asserto expressa.

171 **D**icendum est primò, iustum non posse sibi mereri de condigno perseverantiam viliam in gratia adhuc de potentia absoluta. Ita colligitur ex ratione D. Thom. in corp. huius art. 9. *Quæ* potest ad hanc formam reduci: nam id, quod pertinet ad principium essentiale meriti, nequit cadere sub merito; sed qualibet perseverantia gratiæ pertinet ad principium essentiale meriti: ergo nequit cadere sub merito. Maior in via D. Thom. est omnino certa, ut vidimus dub. 6. Minor verò probatur: tum quia id expresse docet D. Thom. in præf. Tum etiam: quia perseverantia in gratia solum dependet ex motione divina; sed motio divina est principium omnis meriti: ergo perseverantia in gratia pertinet ad principium essentiale meriti.

172 *Hæc* ratio est adeo efficax, ut ea rectè intellecta facile evanescant omnes adversariorum evasiones suadente in sinistra intelligentia illius. Primò respondet Godoy loco citato num. 14. D. Thom. solum asserere, quòd perseverantia in gratia dependens à motione divina prout est principium essentiale meriti, quo pacto importat totam collectionem auxiliorum, quæ homini conferantur à Deo à primo instanti iustificationis vsque ad ultimum vnitivum gratiæ cum morte, non potest cadere sub merito, eò quòd in perseverantia sic sumpta recluditur primum totius meriti principium, videlicet prima gratia, & auxilium efficax requisitum ad primum actum meritorium. At perseverantia in gratia inadequatè accepta, quo pacto dicit continuationem, & motionem divinam pro duratione sequenti, non se tenet ex parte principij: & propterea non repugnat, quòd iustus sibi mereatur perseverantiam hoc modo sumptam, necnon motionem pro eadem duratione dandam, à qua

ipsa in sui continuatione dependet, quatenus conducit ad vitandum peccatum grave, per quòd abijceretur.

Sed hæc evasio rejicitur primò: quia est contra mentem D. Thom. nam D. Thom. in hoc art. 9. aliquid aliud intendit concludere distinctum ab eo, quòd dicitur, & concludit art. 5. sed in art. 5. iam conclusit primam gratiam non cadere sub merito: ergo dum in hoc art. 9. concludit perseverantiam non posse cadere sub merito, non debet intelligi de perseverantia gratiæ adæquatè sumpta, & qua parte includit primam gratiam, motionemque ad primum actum meritorium, sed de perseverantia illius pro qua libet duratione sequenti. *Adde*: Nam D. Thom. loquitur de illa perseverantia, quæ impedit peccatum, quòd supervenire poterat in duratione sequenti, & impeditur per ipsam perseverantiam, ut potest videri in argum. *Sed contra*, & supra num. 167. expendimus: sed perseverantia, qua parte includit primam gratiam, primamque motionem meriti, non impedit peccatum pro duratione sequenti, sed tantum in prima sui duratione: ergo non loquitur in hoc art. de perseverantia gratiæ, prout includit primam productionem, primumque auxilium ad merendum.

Secundò rejicitur ratio: Quia gratia est principium universale meriti ut determinata per motionem divinam, seu auxilium efficax, sed principium universale meriti pro nulla duratione potest cadere sub merito: ergo nec gratia habitualis ut continuata, nec motio vili conducent saltem indirectè ad sui conservationem potest cadere sub merito. Maior est certa. Et minor probatur: nam si principium universale meriti posset cadere sub merito pro aliqua duratione, v. g. pro duratione sequenti, sequeretur, quòd primus actus meritorius posset mereri ipsam gratiam, prout est principium secundi actus meritorij: mereretur enim illam pro duratione sequenti, & ut determinatam per auxilium, & motionem divinam, quo pacto est principium exercitum secundi actus meritorij; sed hoc repugnat: ergo principium universale meriti nequit pro vili duratione cadere sub merito. Minor probatur: Nam repugnat principium universale meriti quoad primam sui infusionem cadere sub merito; sed si caderet sub merito prout est principium secundi actus meritorij, etiam caderet quoad primam sui infusionem: quia eius continuatio est entitative ipsamet prima productio continuata, ut tradit D. Thom. 1. part. q. 104. art. 4. ad 4. his verbis: *Conservatio rerum à Deo non est per aliquam novam actionem, sed per continuationem actionis, quæ dat esse*: ergo repugnat actum meritorium meriti de condigno gratiam habitualem, prout est principium secundi actus meritorij.

Ad

173 Ad hæc respondet secundò Godoy, num. 15. quòd potest Deus efficaciter decernere infusionem gratiæ quoad substantiam, non decernendo ex vi huius decreti eius conservationem, sed præscindendo ab illa, & postea intuitu primi actus meritorij prævisi decernere conservationem illius. In qua suppositione, licet continuatio gratiæ sit eadem actio in esse physico, moraliter tamen est duplex, & non verificaretur, quòd principium meriti cadat sub merito, prout principium illius est, sed prout non est principium.

Sed contra est primò: Nam inter principium meriti, & præmij debet dari distinctio realis, quia verè & realiter causat illud tam in genere causæ dispositivæ physiciæ, quam in genere causæ efficientis moralis, iuxta dicta num. 144. & sequentibus; sed hæc non daretur, si gratia ut continuata in sequenti duratione esset præmium, & ut existens in precedenti esset principium: ergo, quidquid sit de diversis illis decretis inconnexis, gratia ut continuata nequit cadere sub merito.

Secundò (per quod præcedens probatio explicatur, & roboratur) Nam ut aliquid conferatur per modum præmij, debet supponere conservationem morale meriti, alias actus non esset ius ex parte illius: ergo etiam debet conservari eius principium: hoc enim destructo, perit tota vis meriti iuxta dicta dub. 8. ex qua ratione moti docuimus, iustum non posse mereri sibi de condigno reparationem post lapsum: ergo ipsa gratia ut continuata ita esset præmium primi actus meritorij, quòd esset etiam principium illius.

174 Ad hæc respondet tertio Godoy eodem num. 15. ad rationem meriti non peti conservationem illius, & sui principij pro tempore, quo conferitur præmium: nam satis est, quòd aliquando fuerit, & principium aliquando illud elicietur.

Contra est: Nam propterea docet D. Thom. art. 7. iustum non posse mereri sibi reparationem post lapsum, quia meritum interruptitur per peccatum; sed iuxta hanc evasione meritum ordinatum ad continuationem gratiæ interruptitur tantum physice, quam moraliter: ergo gratia ut continuata non potest cadere sub merito. Minor quoad physicam existentiam supponitur cum Godoy. Quoad permanentiam morale suadet: nam propterea per peccatum interruptitur meritum, quia destruitur, vel non conservatur physice gratia, quæ est illius principium essentiale, & in qua meritum ipsum moraliter perseverat; sed iuxta Godoy gratia, prout est principium meriti, non peti conservari vsque ad collationem sui ipsius ut continuata: ergo prædictum meritum relatè ad gratiæ continuationem interruptitur moraliter; meritum interruptum moraliter, in tempore quo conse-

rendum est præmium, nullam motionem habet ad illud, ut liquet in merito iusti interrupto per peccatum: ergo de primo ad ultimum gratia ut continuata nequit cadere sub merito.

Verum quidem est (ut sic tacitam evasione præcludamus) quòd in homine lapsò interruptitur meritum privativè, & contrariè, & in nostro casu interruptitur quasi negativè. Sed hoc parum interest ad formalem rationem interruptionis: siquidem per hoc præcisè, quòd auferatur gratia sine peccato, moraliter interruptitur meritum, & motio illius ad quodcumque præmium talis meriti dependens à gratia tanquam à principio illius: aliàs iam daretur casus, in quo gratia quoad primam sui infusionem posset cadere sub merito, proindeque non esset gratia, nec homo gratis iustificaretur; sed iuxta modum dicendi Godoy eodem modo interruptitur meritum, & principium illius relatè ad gratiam continuatam: ergo non potest hæc cadere sub merito.

Adde (per quod reselluntur efficaciter omnes prædictæ evasiones.) Nam si iustus posset sibi mereri aliquam continuationem gratiæ, etiam posset mereri motionem gratiæ, seu auxilium efficax conferendum pro sequenti duratione: siquidem hoc conducit ad conservationem illius saltem indirectè, impediendo peccata pro illa duratione, nec hoc inficiantur adversarij; sed hoc repugnat: ergo nec potest sibi mereri continuationem gratiæ. Minor probatur: nam repugnat vnum meritum mereri aliud meritum, & esse principium illius: quia meritum est actus liber existens in potestate libera merentis, præmium verò est in potestate præmiantis, & non merentis; aliàs posset sibi præmiare ex iustitia, quòd est impossibile, cum iustitia sit ad alterum; sed vnum meritum esset causa alterius, ex suppositione quòd possit iustus sibi mereri auxilium efficax conferendum pro sequenti duratione: siquidem est propter actum meritorium habendum in sequenti duratione, & medium efficax ad illum: ergo repugnat, quòd iustus mereatur sibi auxilium efficax pro sequenti duratione.

175 Dicendum est secundò, iustum non posse adhuc divinitus mereri sibi de congruo donum perseverantia, si sumatur meritum de congruo strictè, bene tamen si sumatur latè & improprie. Hæc secunda pars satis constabit ex fundamentis oppositæ sententiæ. Prima verò deducitur ex D. Thom. tum quia in præcedentibus articulis distinguit inter meritum de congruo, & de condigno, & in hoc art. 9. non distinguit. Tum etiam: quia in solut. ad 2. concedit impetrationem circa hoc donum, secus verò veram aliquam rationem meriti. Tum denique: quia ratio illius aequè probat de merito de congruo proprie dicto, ac de merito de condigno.

no. Idipsum colligitur ex August. toto lib. de Bono perfecto. ubi probat, perseverantiam non secundum merita nostra dari.

Ratio desinitur ex dictis: Nam principium meriti non potest cadere sub merito proprie dicto, ut probavimus, num. 107. sed donum perseverantia five finalis, five improprie pertinet ad principium meriti: ergo non potest cadere sub merito de congruo proprie dicto. Minor probatur: nam id pertinet ad principium meriti, quod pertinet ad conservationem & perseverantiam ipsius meriti; sed donum perseverantia est huiusmodi etiam relate ad meritum de congruo, & propter eandem rationem num. 133. probavimus iustum non posse adhuc de congruo mereri sibi reparationem post lapsum: ergo donum perseverantia pertinet ad principium meriti.

§. II.

Argumenta opinionis contrarie.

176 **A**rguitur primò: Nam iustus potest impetrare perseverantiam: ergo etiam potest illam mereri tam de congruo, quam de condigno. Antecedens est certum apud D. Thom. in praf. ad 1. Tum quia sicut repugnat principium meriti cadere sub merito, ita repugnat principium impetrationis cadere sub ea: nullus enim potest petere, quod iam habet, sicut nullus potest mereri, quod iam possidet; hoc non obstanti, potest iustus sibi impetrare perseverantiam: ergo signum est, quod non pertinet ad principium meriti, proindeque potest cadere sub merito de condigno, & de congruo. Tum etiam: nam non minus requiritur ad impetrationem eius perseverantia, quam ad meritum de condigno, & de congruo: ergo si, hoc non obstanti, potest iustus impetrare sibi perseverantiam, etiam illam potest sibi mereri.

Ad hoc argumentum respondetur, concessio antecedenti, negando consequentiam. Ad cuius primam probationem dic, quod perseverantia gratia non pertinet ad principium meriti per modum elicentis, sed precise per modum conservantis illud: & hoc sufficit, ut non possit cadere sub merito five de condigno, five de congruo: est talis perseverantia possit impetrari, quia talis perseverantia non adest, dum petitur. Ad secundam dic, quod oratio innititur soli divine misericordie, & propterea non repugnat in statu peccati, ut bene respondet D. Thom. ad 1. Meritum verò innititur iuri intrinsicò, vel iustitie, vel amicitie: & hac ratione ad substantiam orationis non requiritur perseverantia illius, bene verò ab substantiam meriti. Adde: quod oratio non impetrat infallibiliter nisi ut perseverans, ut docet D. Thom. 2.

2. quæst. 83. art. 15. & in hoc sensu non cadit sub impetratione perseverantia illius. Idem dicendum est de impetratione, prout procedit à gratia, & ab ea habet maiorem vim impetrandi, quia ita accepta supponere debet gratia conservationem. ¶ Notat tamen, & bene Lisbonensis in praf. num. 7. quod perseverantia partialis potest cadere sub impetratione efficaci, & infallibili, licet non totalis: quia oratio habita in A potest habere sufficientem perseverantiam ad infallibilem consequentiam auxilij ad unum actum habendum in B, & oratio habita in B, ad infallibilem consequentiam auxilij ad actum elicendum in C, & sic de reliquis, & ita quælibet oratio habet suam perseverantiam partialem. Et sic integra perseverantia post primam orationem perseverantem, & primum auxilium ad eam, & ut constat ex omnibus auxilijs, & actibus sequentibus, potest cadere sub infallibili impetratione, sed non sub merito propter proximè dicta. Pro discrimine tamen supra adducto videantur dicta num. 137.

177 Arguitur secundò. Nam iustus potest mereri de condigno, aut de congruo auxilium coniungens gratiam cum morte: ergo potest verè proprie sibi mereri perseverantiam finalem. Patet consequentia: quia donum perseverantia potissimè consistit in prædicto auxilio. Antecedens verò probatur: nam prædictum auxilium non est principium actus meritorij præcedentis, & aliunde distinguitur realiter à gratia, & eius conservatione: ergo iustus potest verè & proprie illud sibi mereri.

Confirmatur primò. Nam iustus potest sibi mereri per actum primum meritorium auxilium efficax ad secundum actum meritorium, & per iustum auxilium efficax ad tertium, & sic de reliquis usque ad ultimum auxilium coniungens gratiam cum morte: ergo potest mereri sibi donum perseverantia. Antecedens probatur: nam hoc non repugnat ex defectu proportionis, quia dignificatur à gratia: nec ex eo quod auxilium sit donum Dei, quia vita æterna est gratia Dei nec ex conceptu communi gratia auxiliantis, tum quia Christus illa nobis meruit, & purus homo si constituitur à Deo caput, potest alteri illa mereri: tum & quia alias iustus non potest sibi mereri vilius auxilium efficax, quod videtur nimis durum, & multum derogans dignitati gratia habitualis & eius meritorum: ergo.

Confirmatur secundò. Iustus potest sibi mereri continuationem glorie, seu gratia consummata, ut docet Div. Thom. in praf. art. 9. in corp. ergo continuationem gratia in via. Consequentia probatur: quia perseverantia gratia consummata etiam debet supponere perseverantiam meritorium, quæ non perseverant nisi in ipsa gratia consummata: ergo si, hoc non obstanti, gratia consummata, & eius continua-

tio cadit verè sub merito, etiam continuatio gratia in via. Adde primò: Nam gratia via meretur seipsum, ut post mortem continuatur: ergo etiam continuationem sui ipsius in via. Adde secundò: Nam iustus meretur sibi augmentum gratia: ergo etiam meretur gratia continuationem per durationem, in qua tale augmentum conferendum est. Patet consequentia: quia augmentum gratia pendet omnino à sui conservatione.

Ad argument. iam constat ex dictis §. præced. iuxta quæ negandum est antecedens. Ad cuius probationem dicendum est, quod prædictum auxilium conducit ad gratia conservationem: quare, sicut non potest iustus mereri gratia continuationem, ita nec potest mereri sibi prædictum auxilium. Ad quod parum refert, quod non sit principium actus meritorij, & quod distinguitur à continuatione gratia, dummodo indirectè conducatur ad perseverantiam meriti, sicut ad continuationem gratia, impediendo peccata.

Ad primam confirmationem respondetur unico verbo, quod iustus potest sibi mereri verè & proprie auxilium illud, quod non conducit ad conservationem gratia, sed verò illud quod ad eius conservationem conducit: & ita, se habent omnia ea auxilia, quæ dantur ad adimplendam legem, & impedienda peccata. Alia ratio est in Christo respectu nostri, & in puro homine respectu alterius: quia nullum auxilium alteri conferendum conducit ad suorum meritorium perseverantiam.

Ad secundam respondetur, gratiam consummatam addere supra gratiam secundum se quendam modum realiter distinctum, ut alibi diximus: gratia autem ratione prædicti modi non est principium meriti, sicut nec modus augmenti: ideoque iustus potest sibi mereri gratiam consummatam, eiusque continuationem secundum illud additum, sicut potest mereri modum augmenti. Sed sicut non potest mereri continuationem gratia, quæ est subiectum modi intensi: ita non potest mereri substantiam gratia, quæ est subiectum modi consummationis, quia solum gratia quoad substantiam sufficit, & requiritur ad meritorium perseverantiam. Quam differentiam latè tradit D. Thom. in corp. huius art. ubi videri debet. Per quod constat ad verumque additamentum.

178 Arguitur tertio. Nam potest Deus discernere efficaciter gratia infusionem quoad substantiam, precise five habendo in tali decreto circa eius conservationem: & in hac suppositione potuit Deus pacifici cum iusto hoc modo: Si feceris actum meritorium in A, conservabo tibi gratiam in B: ergo potest iustus sibi mereri de condigno continuationem gratia. Antecedens ex nullo capite videtur repugnare. Et consequens rectè inferitur: siquidem conservatio gra-

tia in B in illa hypothesi haberet tantum rationem termini, & supponeret provisionem meriti.

Ad hoc argument. (cui vnicè fidei Godoy loco citato num. 3.) Respondetur permittendo antecedens quoad primam partem; & negando quoad secundam, quia prædictum pactum est omnino chimericum. Ratio clarè deducitur ex dictis: nam Deus non potest cum iusto pacifici se daturum per modum præmij continuationem gratia, nisi efficaciter decernat conservationem meriti eliciti in A usque ad durationem B inclusive. Prædictum autem meritum ad sui perseverantiam omnino dependet à continuatione gratia, ideoque gratia via continuata debet persistere physicè usque ad B per modum principij meriti conservantis in esse morali: & hac ratione est evidens chimæra, quod Deus pacificus conservationem gratia in B intuitu meriti eliciti in A.

179 Arguitur quarto. Quia iustus potest sibi mereri verè & proprie donum confirmationis in gratia: ergo etiam donum perseverantia. Antecedens est certum: quia donum confirmationis nullatenus requiritur ut principium essentialis meriti, cum plures iusti mereantur, quin sine confirmati in gratia. Consequentia verò probatur: nam donum confirmationis assertè indispensabiliter perseverantiam gratia: ergo qui potest mereri donum confirmationis, etiam potest mereri donum perseverantia.

Et confirmatur primò: Nam iustus potest verè & proprie mereri pati martyrium pro Christo, ut docent D. Ambrosi. lib. de Resurrectione. cap. 8. & D. August. lib. serm. 3. de Sæ Laur. ergo etiam donum perseverantia. Consequentia constat, quia martyrium assertè infallibiliter donum perseverantia. ¶ Confirmatur secundò: Nam multi peccatores merentur de condigno oblationem, seu perseverantiam in peccato: ergo etiam iustus potest sibi mereri perseverantiam in bono, seu gratia. Consequentia à paritate constat. Et antecedens experimento: siquidem Deus in penam præcedentium peccatorum multos deserit.

Ad argument. respondetur permittendo antecedens, & negando consequentiam. Nam sicut gratia consummata, & eius continuatio necessario supponit continuationem gratia quoad substantiam, & nihilominus iustus mereus gratiam consummatam, & continuationem eius non potest mereri continuationem gratia quoad substantiam, ut vidimus num. 177. ad secundam confirmat. ita iustus non potest sibi mereri continuationem gratia, ex eo quod mereretur donum confirmationis, licet hoc asserat illam infallibiliter. Et ratio est eadem utrobique: quia sicut gratia consummata addit supra gratiam secundum se quendam modum accidentalem, qui nec est principium essentialis meriti, nec conducit

docet essentialiter ad illius perseverantiam, ita donum confirmationis addit supra gratiam secundam se similem modum accidentalem, ut diximus tract. præc. disp. 1. num. 152. & loco ibi relato.

Ad primam confirmationem respondetur primò negando antecedens. Ut non obscure colligitur ex D. Augusti, lib. de *Dono persever.* ubi docet, quòd sicut fides, quæ est initium salutis, est donum Dei, ita martyrium, quod pertinet ad fidem: & sicut illa, quia totaliter est donum Dei, non potest cadere sub merito, ita martyrium. Et si PP. aliud docent, exponendi sunt de merito congrui largè sumpto, & prout est idem ac imperitatio: & eodem modo intelligendi sunt, si alicubi docent, perseverantiam gratiæ posse cadere sub merito.

Respondetur secundò, omisso antecedenti, negando consequentiam. Et ratio disparitatis est: quia martyrium nec est principium essentialiter meriti, nec conducit ad eius conferentiam essentialiter, quia est passio ab extrinseco illata cum sustentia virtuosa illius ex parte patientis, & nihil horum conducit ad principium merendi. At perseverantia in gratia, quæ annexa est martyrio, conducit saltem ad perseverantiam meriti, & propterea non potest cadere sub merito. Ex his solutionibus elige, quam malueris. Si verò hanc secundam elegeris, ad testimonium D. Augusti, dic, quòd solum intendit martyrium esse donum Dei excedens vires naturæ. Vel loquitur iuxta præsentem providentiam, in qua nullus forte mereatur martyrium.

Ad secundam confirmationem respondetur concedendo antecedens; & negando consequentiam. Disparitas consistit in eo, quòd oblatio, prout dicit carentiam privativam gratiæ, supponit tam peccatum actuale, quam habituale, prout dicit permanentiam simplicem in statu peccati, seu in peccato habituali, supponit peccatum actuale, à quo potest induci: prout dicit immobilem adhesionem ad malum, comparatur cum dono confirmationis, & sicut hæc non requiritur ad perseverantiam meriti, ita oblatio non requiritur ad conservationem peccati. Actus verò meritorius necessariò debet supponere continuationem gratiæ ad sui perseverantiam moralem, & propterea nullus potest illam mereri.

§. III.

Cuiusdam dubioli resolutio:

180 **P**RO obiecti meriti complemento inquirens cum D. Thom. art. 10. huius quæst. *An bona temporalia cadant sub merito? Quæ* quæstionem pertractari potest vel relatè ad hominem iustum, vel peccatorem:

& sumptis bonis temporalibus, prout conducunt ad vitam æternam, quo pacto imperantur à providentia supernaturali & prædestinativa; ut diximus tract. 5. disp. 3. dub. 1. vel sumptis secundum se. In qua succintè, & per partes procedemus.

Dico ergo primò, quòd iustus potest mereri de condigno, & defacto ita meretur bona temporalia, prout conducunt ad salutem. Ita D. Thom. ubi supra, & communiter Theologi: Contra Vazquez in præf. & Sorum in 4. dist. 15. quæst. 2. art. 4. ad 3. & alios, qui tantum concedunt meritum congruum relatè ad ea. Et probatur ratione D. Thom. nam qui potest mereri de condigno aliquem finem, & defacto illum meretur, etiam mereri potest, & defacto meretur media conducentia ad talem finem, si adsit pactum; sed iustus meretur de condigno vitam æternam, & bona temporalia possunt esse media conducentia ad illam, & defacto adest pactum: ergo iustus defacto meretur de condigno bona temporalia, si defacto suum meritum ordinat ad illa. Maior est certa: quia nulla alia conditio requiritur ad meritum de condigno, supposita æqualitate, cui non præiudicat ut in præsentem excessus meriti, sed potius favet. Minor quoad primam, & secundam partem supponitur. Quoad tertiam suadet: tum ex illo Matth. 19. *Omnis, qui reliquerit domum, & centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*, quam promissionem plures PP. & Interpretæ exponunt de bonis temporalibus, prout conducunt ad salutem. Tum etiam nam pactum, quod deservit ad finem, etiam deservit ad media: ob quam rationem docet D. Thom. supra art. 8. & in hoc art. 10. nosque docuimus in hac disp. 148. pactum deserviens ad vitam æternam deservire etiam ad augmentum gratiæ, quia est meritum ad maiorem gloriam: ergo si bona temporalia sunt media ad salutem, datur pactum ad ea promerenda.

Confirmatur: Nam bona temporalia, prout conducunt ad salutem, possunt esse obiectum spei, ut tradit D. Thom. 2.2. quæst. 17. art. 2. ad 1. possunt esse etiam obiectum orationis, ut patet ex praxi Ecclesiæ, & Ang. Doct. 2.2. quæst. 83. art. 6. in corp. & ad 3. & 4. & propterea 1. part. quæst. 23. art. 8. argum. *Sed contra* adducit exemplum Isaac, qui rogavit ad Dominum, ut daret conceptum Rebecæ, ut refertur Genes. 25. & dedit Deus conceptum, ex quo natus est Iacob prædestinatus: ergo etiam possunt esse obiectum meriti; aliis non excedunt proportionem operum bonorum, quæ in charitate eliciuntur: ergo cadunt sub merito de condigno.

181 **O**bjicies primò: Nam id, quod se tenet ex parte principij, nequit cadere sub merito de condigno; sed bona temporalia, prout conducunt ad salutem, se tenent ex parte principij:

Dub. X. An iustus possit sibi mereri de condigno, vel saltem &c?

cipij: siquidem se habent tanquam auxilia salutem extrinseca, quibus homo movetur ad exercendos actus bonos, & meritorios: ergo nequeunt cadere sub merito de condigno. ¶ *Secundò*: De ratione meriti de condigno est, quòd infallibiliter consequatur præmium; sed iustus non consequitur infallibiliter bona temporalia, aliàs iustus haberet plus de iustis bonis, quam peccator, & magis iustus quam minus iustus; quod non evenit ita, sed sæpè oppositum: ergo. ¶ *Tertiò*. Nam longitudo vitæ & est bonum temporale, & aliquando conducit ad salutem, ut in D. Paulo Eremita; & tamen nequit cadere sub merito de condigno, quia se tenet ex parte principij, sicut continuatio gratiæ: ergo.

Ad primam obiectionem respondetur negando minorem. Siquidem bona temporalia sunt terminus intermedius, sicut augmentum gratiæ, ut nos docet D. Thom. ad quod non oblat, quòd conducant ad alios actus meritorios, sicut nec ad hoc oblat, quòd augmentum gratiæ ad illos conducant. ¶ Ad secundam respondetur, quòd propterea iustus aliquando non consequitur bona temporalia, quia ad suam salutem non conducunt. Præsertim, quia cum sint bona secundum quid, non est inconveniens concedere, quòd ea non assequatur, estò mereatur de condigno, si aliis eorum non assequitur conducit ad maius eius meritum, & gloriam. ¶ Ad tertiam respondetur, quòd estò prima vita non possit cadere sub merito; bene verò longitudo illius: quia nec est principium meriti, nec conducit ad illud; cum simpliciter possit sine illa conservari, ut conservatur post mortem. Continuatio verò gratiæ requiritur persè ad perseverantiam meritorum, & ita de ea est alia ratio.

182 **S**ed scire forsàn desiderabis, an iustus alijs mereatur bona temporalia? ¶ Resolutoriè dicimus, quòd defacto non potest illa mereri de condigno alteri ex defectu pacti. Sed si adesset, posset ea mereri de condigno alteri sive iusto, sive peccatori, sicut potest mereri primam gratiam. De congruo potest defacto illa alijs mereri, quia ad hoc meritum non requiritur pactum.

183 **D**ico secundò, iustum non mereri de condigno bona temporalia secundum se considerata. Ita D. Thom. in præf. necnon 2.2. quæst. 122. art. 5. ad 4. quem sequuntur communiter Theologi. Et probatur ratione: nam meritum ordinatur ad præmium; sed bona opera iusti licite non possunt ordinari ad bona temporalia secundum se considerata: ergo non potest illa mereri de condigno. Minor probatur: tum quia talia opera sunt ordinis supernaturalis; sed opera supernaturalia nullus licite potest ordinare ad bona temporalia tanquam ad finem & terminum, attendendo ibi: ergo bona opera iusti non possunt

licite ordinari ad bona temporalia secundum se considerata. Tum etiam: quia propter eandem rationem iustus non potest ea licite sperare aut petere, ut docet D. Thom. locis supra citatis ex 2.2. ergo nec potest sua bona opera in illa ordinare. *Adde primò*: Nam prædicta bona non possunt esse effectus prædestinationis, si considerentur secundum se: ergo nec possunt esse præmium meritorum: siquidem quod est effectus meriti iusti, debet esse effectus prædestinationis. *Adde secundò*: Quia prædicta bona sunt communia bonis, & malis: ergo prout sic nequeunt esse præmium meriti iusti. Patet consequentiam nam præmium correspondens merito iusti debet habere aliquid speciale, per quod pertineat ad ipsam.

184 **D**ico tertio, iustum non posse mereri de congruo proprie dicto prædicta bona secundum se ita colligitur ex D. Thom. in præf. ubi nullum aliud meritum concedit ad ea, nisi consequentem physicam illorum, ad quæ Deus movet; sed consequit ex vi huius conceptus nequit dici proprie meritum de congruo, sed tantum abusive: ergo iuxta D. Thom. iustus non potest mereri proprie de congruo bona temporalia secundum se. Ita tenent NN. Salmæ in præf. disp. 6. num. 111. & alij contra Gouretum.

Et ratio pro præcedenti resolutione etiam hæc probat efficaciter: Quia etiam meritum de congruo proprie dictum ordinatur tanquam via ad terminum; sed meritum de congruo proprie dictum nequit ordinari ab bona temporalia secundum se tanquam ad terminum & finem, cum etiam prædictum meritum sit ordinis supernaturalis, & fundetur in charitate: ergo. *Adde*: Nam oratio solum innititur divinæ misericordię; meritum verò de congruo proprie dictum fundat aliquod ius intrinsecum, & hæc disparitate maiorem proportionem debet habere meritum cum præmio, quam oratio cum re postulata; hoc non obstanti, iustus non potest licite petere bona temporalia secundum se: ergo nec illa mereri de congruo.

Nec testimonium Div. Thom. in hoc art. concedens meritum secundum quid, quale est meritum congruum adhuc proprie dictum (quo præcipue movetur Gonet ad illud concedendum in ordine ad bona temporalia secundum se sumpta) urget contra dicta: Quia ex verbis statim sequentibus aperte constat se loqui de merito, quòd coincidit cum consequentione, ut supra notavimus, & huiusmodi meritum est tale non solum secundum quid absolute, sed etiam in genere meriti congrui. Minus urget exemplum meriti peccatorum, quo minuitur, propter proximè dicenda.

185 **D**ico quartò, peccatores non posse mereri sibi, aut alijs sive de condigno, sive de congruo bona temporalia, quomodocumque

sumantur. Ita Caiet. in hac 1. 2. quæst. 21. art. 4. ad 3. Bañez 2. 2. quæst. 24. art. 6. & alij, quos sequuntur NN. Salmant. in præf. num. 112. contra Gonetum num. 236. & Arauxum in hac quæst. art. 2. cum alijs. Ratio est: quia opera bona peccatoris non fundant ius ex iustitia, nec ius amicitiae in ordine ad bona temporalia: ergo nequit mereri de condigno, aut de congruo bona temporalia, quomodocumque sumantur. Antecedens est certum. Et consequentia liquet: nam meritum de condigno fundat ius ex iustitia, & meritum de congruo proprie dictum ius amicitiae. ¶ Confirmatur: quia utrumque meritum petit fieri in obsequium præmiantis, sicut præmium petit esse bonum merenti; sed opera bona peccatoris nequeunt esse in obsequium Dei, cum in sensu composito peccati nequeant referri in ipsum tanquam in ultimum finem: ergo. Videatur Div. Thom. 4. dist. 15. quæst. 1. art. 3. quæstionc. 4. ubi non solum negat peccatori meritum de condigno, sed etiam meritum quodlibet fundans ius ex amicitia, quale etiam est meritum de congruo proprie dictum: quamvis illi concedat aliud meritum congrui relate ad bona temporalia, quod coincidit cum consequentia illorum, vel cum impetratione.

186 Sed obijciens primò: Nam iuxta D. Thom. supra quæst. 21. art. 4. omnis actus humanus est meritorius, aut demeritorius, siquidem ratio meriti, & demeriti sunt passiones bonitatis, & malitiae moralis (& colligitur ex illo Ecclesiast. ultimo: *Cuncta, quae fiunt sub sole, adducet Dominus in iudicium, sive malum, sive bonum, id est ut præmium pro bonis, & supplicium pro malis operibus largiatur*): ergo omnes actus boni moraliter in peccatore sunt merito rij saltem alicuius præmij secundum quid, qualia sunt bona temporalia, & saltem de congruo.

Secundò: Nam peccator potest mereri augmentum fidei, ut si eliceret actum intensiorem habitu præxistenti, qui non concurrat efficienter physice, ut supponimus, ergo efficienter moraliter, seu meritorie: ergo potiori titulo potest mereri bona temporalia.

Tertiò: quia peccatores per opera sua bona moraliter quandoque meruerunt præservari à malis temporalibus, ut legitur de Achab 3. Regum cap. 21. & de Ninivitis in Ionæ historia, & ut inquit D. August. relatus à D. Thom. 3. part. quæst. 89. art. 6. ad 3. meretur per bona opera diminutionem poenae sensibilis: ergo etiam merentur bona temporalia: quia eadem est ratio. Adde: Nam D. Thom. ibi docet, quod *Deus remunerat eos* (id est opera bona in statu peccati facta) *temporaliter remuneratione, sicut Greg. dicit* &c. & in 2. dist. 29. quæst. 1. art. 4. *Frequenter, ut Greg. dicit, Deus in hoc mundo remunerat eum, qui præmium future glorie*

non meretur, ut nullum bonum irremuneratum inveniatur.

Et confirmatur: Nam peccatores per aliqua bona opera aliquo modo vitata meruerunt aliquod præmium temporale saltem de congruo, ut constat ex Exod. 1. ubi dicitur Deum edificasse domos obstericibus; quia mendacio conservant vitam infantium hebraeorum. Vbi D. Greg. in sua glossa ait, quod *culpa mendacii terrenam recompensationem accepit.* Idem docet August. de Raab meretrice lib. *Contra mendacium* cap. 15. & lib. 5. de *Civitate Dei*, cap. 15. Et D. Thom. lib. 3. de *Regim. Princip.* cap. 4. ostendit, Romanos mundum subjugasse, & dominum ac imperium meruisse propter amorem patriæ, zelum iustitiæ, & singularem pietatem, ac civilem benevolentiam; quæ tamen ab ipsis fiebant propter vanam gloriam.

187 Ad primam obiectionem respondetur negando antecedens. Ad cuius insertam probationem iam constat ex dictis num. 43. Ad illud Ecclesiast. dicendum est, opera bona facta à peccatore adducenda esse in iudicium, non quia intuitu eorum ipse accipiat aliquod præmium, nec in hac vita, ubi non semper remunerantur, nec in alia, ubi reprobos est incapax præmij, sed quia ex eis recipient prædestinati aliquod gaudium accidentale tanquam ex effectibus suæ prædestinationis. ¶ Ad secundam respondetur, quod peccator per actum intensiorem fidei solum concurret dispositive physice ad illius augmentum.

Ad tertiam respondetur negando antecedens. Et ad primam probationem insertam dic, quod Achab, & Ninivitis non meruerunt præservationem à malis, sed tantum impetrarunt eam, vel dilationem poenae temporalis. ¶ Ad secundam insertam, & desumptam ex D. August. & D. Thom. dic, intelligendos fore de diminutione poenae negativè, quatenus bona opera impediunt peccata, quibus augetur supplicium. Ad additamentum dicendum est, tam D. Greg. quam D. Thom. loqui de remuneratione abusive sumpta, quatenus coincidit cum consequentia, aut impetratione. ¶ Eodem modo respondendum est ad confirmationem. Præterquam quod in sensu, quo procedit, negari debet suppositum, nempe quod datur idem actus, qui sit simul bonus, aut malus moraliter. Pro quo recole, quæ diximus tract. 10. dub. 5. per totum, & num. 71. videbis explicatum id de obstericibus, ubi imitatus est sum Magister August. qui loco in confirmatione citat, eodem modo loquitur de illis, ac de Raab. Nec oppositum docet D. Greg. quasi mendacium fuisse occasio remunerationis, sed benignitas ergo instantes. Et forte ex ignorantia invincibili non fuit peccatum, sed opus honestum. De Romanis idem debet dici: nam per actus vitiatos in-

ni

ni gloria nihil meruerunt, adhuc secundum quid & abusive, sed per alias operationes adæquate bonas, quales sunt, quas in confirmatione retulimus. Et de his loquitur D. Thom. loco in ea citato.

188 Dico ultimò, quod homo, si concedetur in puris, aut cum integritate ordinis naturalis, potest de condigno mereri sibi bona temporalia. Ita Bañez, & Salm. locis supra citatis, & alij: Nam qui potest mereri de condigno ultimum finem alicuius status, etiam potest mereri terminos intermedios; sed homo in utroque statu potest mereri de condigno ultimum finem naturalem per actum efficacem dilectionis naturalis Dei super omnia: ergo etiam potest mereri terminos intermedios. Iam sic; sed bona temporalia possunt assumi ut media conducentia ad talem dilectionem, sicut à sanctis assumuntur ad dilectionem supernaturalem: ergo potest de condigno illa mereri.

DUBIUM XI.

An, & quomodo merita per peccata mortificata, per iustificationem reviviscant: Et quando augmentum gratiae actibus remissis correspondens physice conferatur?

189 **H**æc tria, quæ in titulo recitantur, desiderari videbantur ad completam huius disputationis notitiam, quæ ob afinitatem doctrinae sub vno dubio comprehendimus, licet NN. Salm. ea petraherent in diversis tractatibus, siquidem de reviviscencia meritorum agunt in hoc tract. disp. 5. & de augmento debito actibus remissis in tract. 19. de *Charitate* disp. 5. dub. 4. ¶ Pro quibus supponimus primò, merita semel mortificata nunquam reviviscere physice, quia citò transeunt: ob quam rationem, etiamsi non mortificarentur per peccatum, nunquam redeunt physice, si semel interruptuntur physice. ¶ Supponimus secundò, gratiam augeti moraliter statim, & in eodem instanti quo ponitur actus remissus, quia crescit in ea ius ad maiorem gloriam. Unde difficultas quoad merita mortificata est, an, & quomodo reviviscant moraliter? Et quoad augmentum gratiae, quando physice conferatur?

Circa priorem difficultatem omnes Scholastici docent, merita mortificata per peccatum reviviscere per subsequentem iustificationem, itaut aliqui affirmant oppositum esse erroneum, alij temerarium. Circa modum tamen, & quantitatem, in qua reviviscant, plures sunt modi dicendi. Siquidem Nominales, & alij, quos refert, & sequitur Suarez opus. de *Reviviscant merit.* ubi rem hanc subtilissime pertractat, asserunt, omnia merita beneficio sub-

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

sequentis iustificationis ita perfecte reviviscere; ut præter gratiam quæ correspondet dispositioni, in qua homo resurgit, datur statim, & physice tot gradus gratiae, quot habuisset homo per merita, si non fuissent mortificata, & consequenter ius ad tot gradus glorie. Unde dicunt quod si iustus amisit gratiam vt sex, & facit actum charitatis vt quatuor, statim assequitur formaliter, & in esse physico decem gradus gratiae.

Bañez 2. 2. quæst. 24. art. 6. dub. 6. oppositum ex diametro modum dicendi tenet, asserens hominem in sua iustificatione non assequi plus gratiae, sive in esse gratiae seu moraliter, sive in esse physico, præter eam quæ correspondet dispositioni præsentis. Unde addit reviviscenciam meritorum solum consistere in eo, quod eadem gratia, & gloria tribuitur pluribus titulis, & quod homo habeat in patria maius præmium accidentale intuitu meritorum præcedentium, iuxta modum præscriptum, & relatum num. 143. Pro quo modo dicendi refert Alenssem, Bonav. Palud. Capreol. & Caiet.

Alij docent, viam mediam tenentes, contritionem, qua aliquis resurgit, esse dispositionem ad duplicem gratiam in esse physico, nempe ad eam quæ de novo datur in vi præsentis dispositionis, & iuxta quantitatem illius, & ad restituendam antiquam iuxta eandem intentionem; itaut si merita mortificata erant vt viginti, & dispositio præsens sit vt octo, homo recipiat statim gratiam vt sexdecim, octo gradus scilicet prout correspondent præsentis dispositioni, & alios octo ex antiqua gratia perperdita, quæ etiam eidem dispositioni, vt causa per accidens, correspondent. Pro quo modo refertur Scotus in 4. dist. 16. quæst. 2. Ioannes à S. Thoma 3. part. disp. 36. art. 2. & alij. Quibus ex parte suffragatur Goner. 3. part. disp. 6. conc. 4. quatenus asserit, quod licet gratia commensuretur in esse physico cum dispositione præsentis; attamen homo accipit in iustificatione maiorem gratiam in esse morali iuxta proportionem proximè insinuatam, itaut si iustus ante peccatum habuit decem opera meritoria vt octo, & postea resurgat cum contritione vt vnum, quodlibet opus resurgit vt vnum, & resultat, meritum vt vndecim; cætera verò merita omnino mortua manent.

Ultimus modus dicendi tenet, quod homo in hac vita non consequitur statim aliquam maiorem gratiam in esse physico intuitu meritorum præcedentium; consequitur tamen totam gratiam in esse gratiae seu moraliter statim, interveniente quacumque dispositione ad iustificationem, & debitam meritis præcedentibus. Sed in altera vita consequetur etiam in esse physico totam gratiam debitam pro omnibus meritis, sive mortificatis, sive non mortificatis, sive intensioribus, sive remissis. Ita NN. Salmant.

Itt 2

in

in hoc tract. disp. 5. dub. unico num. 9. & alij plures.

Circa posteriorem difficultatem idipsum docere debent praecitati Authores, vniuersique iuxta suum modum, & defecto docent NN. Salmant. tract. 19. disp. 5. dub. 4. Pro qua referri possunt alij modi praedictis affines. Nam Granados docet, quod iustus sufficienter disponitur ad augmentum gratiae debitum actibus remissis, cum elicit actum aequum intentionem gratiae praexistenti: quia in virtute praecedentium potest disponere ad tale augmentum. Arauxo dicit, quod solum disponitur, dum elicit actum feruentiorem: nam ratione suae intentionis potest disponere ad augmentum gratiae secundum excessum, quem habet supra gratiam praexistentem, & in virtute actuum praecedentium remissorum sufficienter disponit ad augmentum ipsis debitum, ut statim conferendum. Et tandem Ferre asserit, quod si collectio actuum remissorum, & tota illorum intentio moralis simul sumpta excedit intentionem gratiae, tunc iustus sufficienter disponitur ad recipiendum statim totum augmentum eis debitum, quia vltimus actus remissus in virtute praecedentium est virtualiter intensior.

Non possumus tamen in hac celebri, graui, ac per difficulti controversia, cum perspicuitate desiderata procedere, nisi prius, & per partes modos aliorum resellamus: quod praestare curabimus §§. diuersis.

§. I.

Prima assertio circa reuiviscientiam meritorum.

190 **D**icendum est primò, merita omnia per peccatum mortificata reuiviscere per subsequentem iustificationem. Ita D. Thom. 3. part. quest. 89. art. 5. alijque in locis.

Et probatur primò ab autoritate sacrae scripturae. Nam Iocē 2. dicitur: *Reddam vobis annos, quos comedit locusta, & bruchus.* Ubi glossa Interlinealis exponit, ut refert D. Thom. loco citato: *Non patiar perire vbertatem, quam cum perturbatione animi amisisti. Tunc scilicet: sed illa vbertas est meritum bonorum operum, quod fuit perditum per peccatum, ut subsumit Div. Thom. ergo per penitentiam (infern) reuiviscunt opera meritoria prius facta.* Eodem modo interpretantur praedictum locum alij PP. Item ex 1. ad Corinth. 15. dicitur: *Abundantes in opere Domini semper scientes, quod labor vester non est inanis in Domino.* Quent locum exponens Trident. sess. 6. cap. 16. sic ait: *Hae igitur ratione inducti, iustificationis hominibus siue acceptam gratiam perpetuo conservaverint, siue amissam recuperaverint, propo-*

nenda sunt Apostoli verba: Abundate in omni opere bono, scientes &c. Ubi Concil. distinguit duo genera meritorum: vnum eorum, quae cum gratia accepta perpetuo perseverant, & aliud eorum quae per peccatum mortificantur, & de his homines admonentur ad eorum primum sperandum: ad quod inducunt illa verba Apoll. *Non enim est iniustus Deus, et obliuiscatur operis vestri boni, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius: ergo vel frustra Concilium proponit praedicta ijs, qui gratiam amiserunt, & sua merita mortificauerunt, vel merita mortificata reuiviscunt ad primum, quod memoraerunt.*

Et confirmatur primò ex Trident. loco proxime relato, ubi post dicta verba adiecit: *Nihil iustificationis amplius deesse credendum est quominus plenè illis quidem operibus, quae in Deo sunt facta, divinae legi pro huius vitae statu satisfecisse, & vitam aeternam suo tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam promeruisse censentur.* Ubi tres conditiones requirit, ut opera meritoria suum primum defacto consequantur: nempe quòd sint opera iusti, quòd in Deo sint facta, idest: ex gratia Dei, & tandem quòd merens in gratia decedat: quibus nihil amplius deesse, credendum est, inquit Concil. (& valde notandum est) atqui merita mortificata habent duas priores conditiones, ut supponitur, alias nunquam fuissent merita; & tertiam recuperant per subsequentem iustificationem: ergo merita iuxta Concil. in iustificatione reuiviscunt.

Confirmatur secundò ex nonnullis PP. nam Hieronym. ad Galat. 3. ait: *Quicumque ob fidem Christi laboraverit, & postea lapsus fuerit in peccatum, sicut priora dicitur passus fuisse sine causa, sic rursus non perdet ea, si ad antiquum statum restitatur.* Chrysol. ibidem ait: *Non frustra laboravit peccator, si reuocet animum, & agat penitentiam.* Idem docet August. lib. de Vera, & falsa poenit. Ambros. & Alselm. ad locum citatum, & alij PP. quos ad longum refert Suarez.

Et probatur ratione D. Thom. loco citato: Nam licet non sit debitum ex iustitia, quòd merita mortificata reuiviscant, cum meritis mortificatis non sit debita recuperatio post lapsam; supposita tamen speciali gratia Dei, & ordinatione, necnon sufficienti permanentia morali eorum, debent omnino reuiviscere ablato impedimento peccati; sed defacto datur specialis gratia Dei, eiusque ordinatio circa reuiviscientiam meritorum, ablato impedimento peccati, & alias habent sufficientem permanentiam moralem: ergo merita mortificata per peccatum reuiviscunt in iustificatione sequenti. Maior solam potest dubitari quoad vltimam partem, quae nostro iudicio est certa: nam sicut ad perseverantiam meritorum non requiritur continuatio eorum

eorum physica, quae saepe citò transeunt, sed tantum perseverantia moralis, ita ad reuiviscientiam meritorum sufficit permanentia eorum moralis.

Minor quoad primam partem, nempe quòd datur specialis gratia Dei eiusque pactum, & ordinatio, satis liquet ex testimonijs supra relatis. Quoad secundam verò, scilicet quoad permanentiam moralem, ostenditur: Nam ad permanentiam moralem meritorum sufficit, quòd maneant in acceptatione divina: nam cum induxerunt meritum sit tantum moralis hoc est movens voluntatem alterius, aut Dei ad conferendum primum, satis erit ad eorum influxum, quòd maneant in acceptatione Dei praemiantis; sed merita semper maneant in acceptatione divina, quia sunt opera in charitate facta: ergo habent sufficientem permanentiam moralem: *Roboratur*: Nam causa carens aliquo suo effectu praecise propter impedimentum, illo secluso debet talem effectum habere, dummodò secundum se permaneat, sed merita permanent semper in acceptatione Dei, ut pluries dicit D. Thom. loco supra citato, & impediuntur a suo effectu propter impedimentum peccati: ergo, eo sublato per subsequentem iustificationem, debent habere efficaciter suum effectum, nempe perducendi in vitam aeternam.

191 Sed objicies primò: Nam sicut per penitentiam expiantur peccata, ita per peccatum destruantur merita praecedentia; sed, destructis peccatis per penitentiam, peccata dimissa non redeunt, aut reuiviscunt: ergo nec reuiviscunt merita per peccatum semel mortificata. ¶ Nec refert, si dicas, merita destrui physice, sed permanere moraliter, secus verò peccata, quae utroque modo destruantur. *Contra est*: Quia haec solutio petit principium, & videtur voluntaria: nam ideo merita reuiviscerent, quia semper remanent moraliter in acceptatione divina; sed etiam peccata semper remanent moraliter in abominatione divina: ergo vel peccata semel dimissa redeunt, gratia destructa; vel merita mortificata non reuiviscunt, peccato destructo.

Objicies secundò: Nam quando contractus aliquis non est absolutus, sed conditionatus, & deficit conditio, omnino destruitur; sed contractus, quo Deus pepigit remunerare nostra merita, est conditionatus, & conditio, à qua dependet, est, si non adsit obex peccati ex parte hominis: ergo, adveniente peccato, omnino destruitur contractus, & merita non vivificantur.

Et confirmatur: Nam quod omnino moritur, non potest per penitentiam reparari; sed merita praecedentia per subsequentem peccatum omnino moriuntur: ergo non reuiviscunt destructo peccato. Minor probatur: nam sicut de impio dicitur Ezech. 18. *si impius egerit*

penitentiam, omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor, ita de iusto dicitur ibi: Si autem averterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem: omnes iustitiae eius, quas fecerat, non recordabuntur. Et infra: Cum enim se averterit iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in eis: in iniustitia, quam operatus est, morietur. Sed ex vi primi testimonij deducunt Theologi, omnia peccata omnino mori per subsequentem iustificationem: ergo ex secundo testimonio debet etiam deduci, merita praecedentia per peccatum omnino mori. Pater consequentia: quia utrumque testimonium continet eundem modum loquendi, proindeque simillimum sensum.

Ad primam objectionem respondetur, sustinendo solutionem inter arguendum datam, quae optima est, & non voluntaria, sed innixa auctoritati, & rationi ingentis disparitatis. Innititur enim imprimis auctoritati sacrae scripturae: ubi asseritur, Deum nunquam obliuisci operis incharitate semel facti, ut vidimus num. praec. Tum Trident. & SS. PP. ibi relatis. De reuiviscientia vero peccatorum nullum est testimonium, siue Scripturae, siue SS. PP. quin potius August. lib. de Respons. Prosp. ad obiectiones Gallorum cap. 2. docuit, hominem damnandum non fore propter originale semel dimissum, ut refert D. Thom. 3. part. quest. 88. art. 1. ad 1. & Gelaf. Papa cap. Sic illic 23. quest. 4. dixit, *Divina clementia dimissa peccata in oblivione ulterius redire non patitur.* Et Bened. XII. in extravag. *Inter cunctas statuit, absurdum esse, ut quis peccata per penitentiam dimissa rursus debeat confiteri, & ut debitor liberatus adhuc maneant ad solvendum obligatus.* Idem docet D. Thom. loco proxime citato.

Innititur etiam disparitatis evidenter rationi, quidquid in oppositum reluctetur Ripalda lib. 4. de Ente supern. disp. 91. sect. 4. non agnoscens disparitatis rationem, nisi quae ab auctoritate sumitur. Nam in operibus bonis debet distingui id, quod illis competit ex ordine ad Deum, in cuius gloriam fiunt, & quod illis convenit in ordine ad operantem. Ex primo capite nunquam deficiunt, quia ita sunt merita nostra, quòd sint absolute dona, & opera Dei; sed solum ex parte operantis per peccatum se impediens ab illorum effectu: vnde, remoto obice per iustificationem, statim redeunt ad primum. At verò peccatum tam in se, quam in ordine ad operantem per remissionem penitus extinguitur. Quam disparitatem optime tradit D. Thom. in 4. dist. 22. quest. 1. art. 1. ad 6. his verbis: *Dicendum, quòd peccatum mortale non mortificabat merita praecedentia, quin inde essent viva: unde in gloriam electorum debeant; sed mortificabant solum quantum ad illum, cuius erant, qui impediatur à conse-*

questione effectibus ipsorum. Et ideo, remoto impedimento, in sua efficacia remanent quoad ipsam. Sed peccatum non solum mortificatur quoad peccantem, sed etiam in se. Et ratio disparitatis est efficacissima: Remissio enim peccatorum (prosequitur S. Doct.) est principaliter opus Dei; sed mortificatio meritorum precedentium est opus hominis. Homo autem sua actione non potest evacuare simpliciter opus Dei, quamvis possit impedire, ne sit profic: & ideo homo per peccatum sequens non potest remissionem precedentium peccatorum annullare: potest autem suam actione evacuare, quod per ipsum factum est. Et ideo potest mortificationem precedentium meritorum per merita sequentia penitus annullare, praeipue gratia adiutus. Quam disparitatem etiam tradit 3. part. quæst. 88. art. 1. & compendiosius.

Ad secundam responderetur, negando minorem quoad secundam partem: quia conditio ibi assignata nullibi legitur, sed conditio, quam nobis declarat Trident. sess. 6. can. 32. nempe, si tamen in gratia decesserit. Ad confirmationem satis constat ex dictis ad primam objectionem. Ad tamen potest, quod testimonium loquens de meritis mortificatis per peccatum exponit D. Thom. cum Glossa ad hebræos 6. lect. 3. sub conditione quod peccator in malo usque ad mortem perseveret, quia tunc Deus omnes iustitias eius obliviscitur, secus verò sub conditione præcisa, quod cadat in peccatum. Et propterea addit, & concludit: *Alio modo potest homo, qui cadit post gratiam, se habere, nempe, quod peniteat: & tunc bonorum precedentiam recordatur, quia reputantur sibi ad meritum. Unde dicit Glossa, quod mortificata reviviscunt. Et similem expositionem testimonij loquentis de peccatis semel remissis in nullo Patre, aut Doctore legimus. Et propterea merito penitus mortificantur, sed peccata per gratiam penitus extinguuntur. Et ratio discriminis etiam potest desumi ex maiori proclivitate Dei ad premiandum, quam ad puniendum, qui proinde legem voluit statuere circa merita mortificata, ut loca Script. Trid. & SS. PP. num. præc. relata testantur, secus verò circa peccata remissa, ut in solutione ad primam objectionem vidimus.*

Hinc gradum facimus ad secundam partem primæ difficultatis. Sed vt ad desideratum illius scopum perveniamus, oportet nobis visum est resolutiones omnes, quæ ad secundam difficultatem spectant, prævenire, quia ex eis facile deducitur per modum corollarij, quid tenendum sit circa modum reviviscen-

tia meritorum.



§. II.

Secunda resolutio circa tempus, & modum, quo non confertur augmentum gratia actibus remissis debitum.

192 Dicendum est secundò, totum augmentum gratia correspondens actibus remissis non statim conferri physice. Hac assertio procedit contra primum modum dicendi Nominalium, Suarez, & aliorum recentiorum Societatis, & est expressa D. Thom. in 1. dist. 17. quæst. 2. art. 3. & 2. 2. quæst. 24. art. 6. in corp. & ad 1. Et præcipue in hac 1. 2. & quæst. 114. art. 8. ad 3. ubi inquit: *Qualibet actu meritorio meretur homo augmentum gratia, sicut & gratia consummationem, que est vita æterna. Sed sicut vita æterna non statim redditur, sed suo tempore, ita nec gratia statim augetur, sed suo tempore, cum scilicet aliquis sufficienter fuerit dispositus ad gratia augmentum. Ubi aperte docet duo, & quòd augmentum gratia non statim physice confertur, sed alio tempore, & quòd actus remissus non est sufficiens dispositio ad illum.*

Ex quo testimonio eruitur ratio fundamentalis nostre assertionis. Nam gratia in esse physico non producitur, vel augetur connaturaliter nisi iuxta quantitatem dispositionis physice; sed actus remissior gratia præexistenti non est dispositio proportionata in esse physico cum augmento physico addendo gratia præexistenti: ergo gratia in esse physico non augetur statim,posito actu remisso. Minor est certa: siquidem solus ille actus est dispositio physica proportionata cum augmento physico gratia, qui habet tantam intensionem cum ipsa, v.g. actus charitatis vt quatuor cum gratia physica vt quatuor.

Maior verò, in qua tantum est difficultas, probatur tum ex Trident. sess. 6. cap. 7. ubi docet: *Iustitiam in nobis recipientes, unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam uniuscuiusque dispositionem.* Tum etiam ex D. Thom. 3. part. quæst. 89. art. 2. ubi ait: *Motus liberi arbitrij, quæ est in iustificatione impij, est ultima dispositio ad gratiam: unde in eodem instanti est gratia infuso cum prædicto motu liberi arbitrij: Manifestum est autem, quòd forme, que possunt recipere magis, & minus, intenduntur, & remittuntur secundum diversam dispositionem subiecti: Et inde est, quòd, secundum quòd motus liberi arbitrij in penitentiam est intensior, vel remissior, secundum hoc penitens consequitur maiorem, vel minorem gratiam. Contingit autem intensiorem motus pe-*

ni-

nitentis quandoque proportionatam esse maiori gratia, quam illa, a qua ceciderat per peccatum, quandoque autem equali, quandoque minori. Et ideo penitens quandoque resurgit in maiori gratia, quam prius habuerat; quandoque autem in equali, quandoque etiam in minori. ¶ Tum denique ratione: quia de rebus supernaturalibus debemus discurre ad modum naturalium, quando oppositum non est revelatum, eò quòd gratia conformatur nature, & principijs Phylosophie; sed habitus intensibilis naturalis non augetur connaturaliter nisi iuxta quantitatem dispositionis physice: ergo etiam gratia non producitur, vel augetur, nisi iuxta quantitatem dispositionis physice.

193 Respondebis primò cum Suarez, & alijs socijs, concedendo totum quoad primam infusionem gratia; sed negando maiorem quoad augmentum gratia. Et ratio discriminis est: quia actus charitatis disponens ad primam infusionem gratia non habet plus valoris, quam gratia physice proportionata cum eo, cum non supponat alium actum meritorium. Caterum actus remissus disponens ad augmentum gratia habet plus valoris, quam gratia physice proportionata cum illo, & propterea potest disponere ad augmentum illius statim conferendum.

Sed hæc evasio impugnatur primò: Nam gratia non producitur, & augetur physice nisi media dispositione physica, proindeque actus charitatis debet esse dispositio physica gratia tam in prima sui infusione, quam in augmento illius, vt supponimus cum D. Thom. & vniuersa eius Schola iuxta dicta num. 144. sed quia gratia in prima sui infusione dependet ab actu charitatis tanquam à dispositione physica, nequit infundi nisi iuxta quantitatem, & intensionem illius, itaut si actus charitatis sit vt quatuor, nequeat infundi connaturaliter gratia nisi vt quatuor: ergo pariter nequit augeti physice nisi iuxta intensionem, & quantitatem actus charitatis.

Secundò: Nam non obstanti, quòd valor meritorum precedentium, quæ mortificata sunt, & reviviscunt per iustificationem, sit v.g. vt octo, gratia non infundetur in iustificatione connaturaliter, nisi iuxta quantitatem dispositionis quam iustus elicit in instanti iustificationis, vt nos docuit D. Thom. loco proxime relato; non alia ratione, nisi quia gratia in qualibet sui infusione debet omnino proportionari cum sola dispositione physica: ergo licet actus remissior gratia præexistenti sit sufficiens dispositio moralis respectu augmenti gratia, ex vi illius nequit gratia physice augeti.

Roboratur hoc: Nam maior, & intensior dispositio moralis cum remissione physica actus non est sufficiens dispositio, vt gratia physice statim augetur: ergo licet actus re-

missus simul cum precedentibus habeat æqualem valorem cum augmento gratia, non propterea augenda est statim gratia in esse physico. Antecedens probatur: nam dum quis iustificatur post merita mortificata, datur ratione reviviscen-tiliorum maior valor moralis, quam in dispositione physica gratia; & tamen gratia confertur physice, & adæquate iuxta dispositionem physicam, quam iustus elicit in instanti iustificationis, & non iuxta hanc, & dispositionem moralem precedentium meritorum reviviscen-tilium, vt expressè docet D. Thom. ergo etiam augmentum physicum gratia non confertur physice, & statim, dum datur maior valor moralis per actum remissum, sed tantum dum ponitur dispositio equalis physica.

Roboratur amplius: Nam tam infusio gratia, quam eius augmentum dependent connaturaliter non tam à dispositione morali, quam à dispositione physica, que in genere causæ formalis, & per exhibitionem suæ entitatis coaptat physice subiectum ad illius receptionem; sed actus remissus non sufficienter coaptat subiectum cum augmento gratia: ergo non est sufficiens dispositio ad augendum gratiam in esse physico. Unde vel negandum est, quòd datur dispositio physica; vel concedendum est, quòd non confertur statim augmentum gratia actibus remissis debitum.

Diximus, quòd gratia nec infunditur, nec augetur connaturaliter nisi iuxta quantitatem dispositionis physice: Nam si infusio, aut augmentum illius non fiat omnino connaturaliter, non requiritur tanta adæquatio inter gratiam, & dispositionem illius: & propter hanc rationem sicut in sacramento producitur gratia, & non mediante illius dispositione connaturali, quæ est actus charitatis, seu contritionis, sed mediante attritione, cuius defectum supplet meritum infinitum Christi Domini; ita ex opere operato potest augeti, & augetur in sacramento supra quantitatem dispositionis.

194 Respondebis secundò, esse notam disparitatem inter dispositiones habitus naturalis, & dispositiones gratia, quòd illæ concurrunt in genere causæ efficientis physice, tam ad primam sui productionem, quam ad augmentum illius, secus verò dispositiones gratia. Et propterea estò actus remissus naturalis non possit augeti habitum, gratia verò potest augeti physice intauti actus remissus.

Sed contrà est: Nam semel concessio, quòd gratia connaturaliter nequeat augeti nisi dependenter à connaturali eius dispositione physica, nequit absolute augeti, nisi augeatur physice eius dispositio, estò non concurrat efficiens physice: ergo actus remissus non est sufficiens dispositio physica ad augmentum gratia. Antecedens probatur: tum ex proportione dispositionis moralis, quæ iuxta adverbios non

dis-